DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE SUPPRESSIONE MENSIUM,

QUAM,

Præside Deo Opt. Max.

Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,

D. JOHANNIS COCCII, in Inclytâ Lugd. Batav. Academiâ Eloquentiæ & Historiarum Professoris Celeberrimi,

NEC-NON

Amplissimi Senatûs Academici Consensu, & Almæ Facultatis Medicæ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè capiendis,

Publico examini subjicit

JOHANNES ADOLPHUS REINBOTH/ Slesvicensis.

Die $\frac{I}{XI}$. Ian. loco, horisque consuetis.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud Viduam & Hæredes JOHANNIS ELSEVIRII, Academiæ Typograph.

clↄ Iↄc LXXVII.

VIRO
PERILLUSTRI ac GENEROSISSIMO DNO,

DOMINO

JOHANNI à THIENEN,

DNO IN WAHLSTORFF & BORCHORST,
SERENISSIMI CIMBRORUM, HOLSATORUMQUE
DUCIS REGNANTIS CONSILIARIO
PROVINCIALI.

E T

PRÆFECTO TUNDERENSI.
DOMINO ac PATRONO SUO
MAXIMO.

Hanc Disputationem Inauguralem

D. D. D.

JOHAN. ADOLPH. REINBOTH.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

SUPPRESSIONE MENSIUM.

THESIS I.



ulier, teste Codice Sacro, à Conditore in solatium Viri creata, eique sociata torô & in mutuum auxilium tanquam in aliquod fidum & perpetuum commilitium adjudicata & adscripta, quamvis careat honoribus, functionibusque civilibus nec (liceat mihi uti verbis T. Livii Historiæ Romanæ Scriptoris luculentissimi) capiat magistratus, non sacerdotia, non triumphos, non insignia, non dona aut spolia bellica; munditiæ tamen illis contingunt, & ornatus & cultus. Hæc fœminarum sunt insignia, his gaudent ac gloriantur. Corporis verò nobilitatem & eminentiam, non neglectis insignibus animi dotibus, indulsit Creator illis tantam, tam elegantem illis concessit & inæstimabilem venustatem, ut si totam compagem à vertice ad calcem curiosè perlustraveris, quin muliebre corpus longè præstantius & formosius Virili sis inventurus (verba sunt Celeberrimi Riolani) nullum dubium. Habet, inquit, Experientissimus Dnus Rollfinccius Præceptor olim meus Honoratissimus Dissertat. Anatom. lib. 1. Cap. 9. mulier corpus delicatissimum, carnem tenellam, cutim politam, cum luciditate niveam, fusca cum est, cerasorum instar stellantium, nihil ea excogitari potest gratiosius: Vide sis & sequentia, ubi præcipuas muliebris recenset corporis partes, suisque laudem exornat elogiis. Animi dotes, porrò idem inquit, in feminis magnæ & multæ, neque illas, quæ vitia sexus sunt, obscurant. Uti quoque non obstant, quæcunque vel Aristoteles, vel Galenus, vel Chrysippus, aliique de feminarum imperfectione protulerunt, qui eas immeritò vocabulo naturæ παρεκβάσεως

σεως

σεως sive prævaricationis incessere. Quin muliebre corpus perfectius virili esse probat ejus materia, ea quâ primò conflatum est: quæ non fuit informe & iners lutum, verùm nobilissima Adami viventis costa: & locus natalis, non obscurus & vilis, sed ipse, terrarum delitiæ, Paradisus. Atque has possidet mulier prærogativas à naturâ & hominum consuetudine concessas. Verum enim verò, quod de toto hominum genere Lyricorum Princeps Pindarus olim cecinit: ἐπάμεροι, τί δέ τις, τί δ' οὔ τις, σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι. Pythior. ȣ. επ. ε. id jure merito etiam de Mulieribus, quamvis dotum cumulatissimis dici potest. Diariæ sunt, quid est quædam? quid est nulla, umbræ somnium mulier. Hæc est conditio illarum, ad has & ejusmodi conditiones est genita, ut perpetuò doleat, algeat, caleat. Obnoxiæ sint infinitis calamitatibus: imprimis tamen illis partibus, quæ mulieres propriè sunt, & dici merentur, gravissimis morborum ictibus patent, uterum intelligo; illum humanæ seminationis fertilem agrum, illum nostri promum condum, nostram communem patriam: qui mulieribus & ad purgationem & partum est bonus, sed morborum infinitorum malorumque acervum congerit teste Aretæo Medico Antiquo Lib. Z. Chronicor. Morbor. τῇσι γυναιξὶ (inquit) ὑστέρη ἀγαθὴ μὲν ἐς κάθαρσιν καὶ τόκον ξυμφορὴ δὲ νούσων μυρίων τε καὶ κακῶν. Hic lernam illis malorum producit, aliàs in momento è vivis abripiendo: aliàs per totam vitam torquendo: aliàs quamvis curabilibus, horrendis tamen & excruciantibus Symptomatibus objiciendo. E plurimorum horum malorum numero unum mihi hâc vice proposui enucleandum, quod circa Menses Tardantes illis accidit, quodque illas sæpius infestat, quam aliud ullum. De cujus Natura & Curatione proponam ea, quæ solers ratio & Medicorum sedula experientia hactenus dictavit. Adsit numine suo JEHOVA!

II.

Suppressio Mensium est ex illorum affectuum numero, quibus nec Græci nec Latini peculiare imposuerunt nomen, sed usi sunt definitione pro definito: Qualis quoque alvi hepatisque obstructio, abolitaque deglutitio, aliique affectus, dicitur; Quam enim Græci indigitarunt, τὴν τῶν ἐμμήνων ἐποχήν, illam totidem verbis Latini vocarunt Mensium suppressionem, Menstrua suppressa vocat Cornel. Celsus, lib. 9. cap. 8. p. 73. Supprimere verò est propriè aliquid sub aliud premere & occultare: præsupponitque sem-

per

per rem aliquam prius revera existentem. Nam quæ haut existunt, aut existere non solent, illa nec supprimi possunt dici nec occultari. Hinc patet, quibus mulieribus propriè dicantur Menstrua supprimi, & quibus non. Illis nempe supprimuntur, quibus revera fluunt, aut fluere adsolent aut fluxêre. Non ergò supprimuntur Puellis pubertatis annos nondum ingressis, quia his nunquam fluxêre, ideo quod his totus Sanguis in corporis convertatur incrementum, quibusque vasa præterea sanguifera sunt angustiora, nec sanguis adhuc fermentescibilis. Non Vetulis, quamvis his fluxerint olim, quod his sanguinis fermentatio sit ob decursum ætatis imbecillior, ob sanguinem minus fermentescibilem & veterascentem, unde hic generatur & parcius & debilius expellit. Non Prægnantibus, quibus sanguis in materiam fœtus absumitur. Non Viraginibus, quibus à calidâ siccâ constitutione Menstrua absumuntur. Non Lactantibus, quia his sanguis præcipitatur in lac, ut fœtus extra uterum alatur eadem planè materia, qua in utero alebatur. Non Tabidis alioque gravi acuto vel Chronico Morbo obsessis, aut longa inedia, curis, mærore, labore, vigiliis, cogitationibvs confectis. Non Exhaustis Alvi Profluvio, sudore, hæmorrhagiâ, quibus omnibus materia deest fluxionis. Uti neque illis, quibus aliquam ob caussam nunquam fluxere, quod de mulieribus Indiæ Orientalis ut & Americæ, & de quibusdam rusticis nostratibus, quibus propter continuum laborem insolatumque menses haut solvuutur, scribit Francisc. Sanchez lib. 3. de Morbis Internis. His omnibus quandoquidem talibus nil incommodi à suppressione nec morbosa illis existat, Medicus non tantum operam suam ludit, sed & valdè nocet, si studeat provocare arte menstrua.

III.

Quibus autem fluere possunt & fluere solent Menstrua naturaliter, illæ sunt nempe in ætate florente collocatæ, quæ agere cœperunt, annum (quamvis Francisc. Sanchez Tolosæ in Gallia sæpe 18. aut 20. contingere anno multis prodat lib. 3. de Morb. Intern.) decimum quartum, quo tempore singularem feminæ subeunt mutationem in voce, colore & circa mammas: quæq; nondum sunt egressæ annum quinquagesimum, ita ut cum tertio septennio incipiant & cum septimo plerumque desinant fluere Menstrua, quod verum est ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Nam non desunt Historiæ Medicis, cum illarum quæ citius, tum quæ diutius hanc evacuationem sunt passæ, quod facit

 cum

cum temperamentum earum, tum victus ratio & vitæ genus, ipsaque, in quâ degunt, regio. Visæ sunt hoc tributum solvisse anno ætatis decimo: aliæ jam decimo tertio fuerunt Puerperæ. Celeberrimus Fabricius Hildanus Coloniæ vidit puellam undecimo ætatis anno menstrualem. Centur. 2. Observ. 60. ibidem Observ. 61. testatur vidisse Menstrua durasse ad 78. annum Centur. IV. Observ. 63. observavit ad 70. annum profluxisse.

IV.

Considerandæ hic quæstiones quædam occurrunt, Quare nimirum ante XIV. annum non profluant Menstrua? Hippocr. lib. de Genitura respondet. Venas esse nimis angustas. Capivaccius addit non generari ante hoc tempus superfluũ Sanguinem ob nimiam humiditatem hujus ætatis, & præterea quod feminæ egeant copioso Sanguine ob augmentum: tum quod puellæ hoc tempore, assiduo moverentur, nimisque exerceantur. Mihi rectius hoc videtur deduci debere ex Fermento Uterino, quod hoc tempore nondum est satis adultum, potens & maturatum, sicut videre licet in fructibus horariis ante maturitatem suam, nullo modo fermentantibus, deinde quod in hâc ætate sicut jam supra dixi, Sanguis ab humido valdè temperatus sit, nec tam potenter effervescat, sicut in matura ætate accidit. Quo respectu Poëta jure mihi videtur amorem vocasse Ignem, cum inquit,

Vulnus alit venis & cœco carpitur Igni.

Q. etiam, Quare non fluant Menstrua post annũ 50? R. vulgò, quod calor langueat, cruditates vigeant: in ætate vero media generetur Sanguis, venæque sint amplæ. Verosimilius est Fermentum his periisse, quod media ætate maximè viget, neque tam potenter Sanguinem effervescere ob defectum particularum Salinarum, quæ in hâc ætate succumbunt à copioso acido, terreno & fixo ligatæ.

V.

Vidimus, Quibus mulieribus menstrua supprimantur & quibus non. Sequitur perlustremus etiam Quid supprimatur: Hoc sunt τὰ Menstrua. Hæc ergò suppressionis objectum erunt.

VI.

Menstrua Græcorum consuetudine sunt dicta adjective; subintelligendo excreta sive Purgamenta, sivè excrementa aut simile quid. Nam Coo Seni 5. Aphor. 57. Καταμήνια sicut 3. Aphor. 28. atque Lib. 5. Coac. tr. 3. t. 6. & c. 21. γυναικεῖα dicuntur, ubique

sub

ſubaudiendo περιττόματα. Alias ἔμμηνα & ἐμμήνια audiunt pari vocis natura. Aræteo vocantur Κάθαρσις, Purgatio. Aliis quoque ῥοὸς ἐρυθρὸς, ruber fluxus. Vulgo tempora, roſa muliebris, flores, ſanguis maternus, malæ horæ promiſcuè in pluribus linguis appellantur. Conſiderantur autem à Medicis in duplici ſtatu, uno ſecundum, altero præter naturam. De priori ſtatim, de poſteriori mox dicam. In priori ſtatu quando Medici conſiderant menſes, octo potiſſimum in diſquiſitionem veniunt I. Quid Menſes ſint. II. Ex quâ materiâ conſtent. III. Quo tempore. IV. Quibus viis fluant. V. Quâ Quantitate. VI. In quem finem. VII. Quas bonitatis notas menſtruus ſanguis habere debeat. VIII. Quibus ſignis cognoſcatur eorum fluxus. De omnibus pauca & diſtincta quædam ſed ſtrictim proponere eſt animus.

VII.

Quid ſint Menſtrua, arduum haut eſt explicare, cum enim incurrant in ſenſus, viſu, tactu, auditu ſive relatu percipiantur, conſtentque evacuatione rubicundi humoris, facilè dicere licebit, excretionem Sanguinis eſſe: ſi præterea perpendamus Subjectum, ſexumque cui accidit excretio talis, patebit, mulieribus illam fieri: ſi attendamus utrumque tempus, Univerſale ſcilicet & Particulare, deprehendemus mulieribus juſtæ ætatis ſingulis menſibus evenire. Si locum notemus excretionis, per uterum prodeunt: His ſi jungamus externa quædam, ne ſint gravidæ, nec gravi aliquo morbo obſeſſæ, conſequemur materiam talis Definitionis: Quod nempe Menſtrua ſint excretio Sanguinis, facta per uterum, in mulieribus juſtæ debitæque ætatis, ſingulis menſibus, modo ne ſint gravidæ, & alias rectè valeant.

VIII.

Materiam pono Sanguinem, non vitioſum, quod probant corpora cachectica, in quibus hic fluxus deeſt, ſed quantitate redundantem ſola: qualitate verò laudabilem: qui in iſta ætate non valet in nutrimentum corporis ablegari; vel potius propagandæ ſpeciei gratia, hoc tempore à fermento jam maturo commovetur. Licet contrarium ſentiat Capivaccius lib. IV. de Affectibus Uteri, ſecutus Avicennã, qui hunc ſanguinẽ vocat excrementum ſupervacaneum, & in tres dividit partes: quarum duas facit benignas, tertiam malignam: Illarum prior, dicit, abit in Alimentum fœtus, altera mutatur in lac: maligna, tempore partus expellitur. Quin unus

ſubſtantiâ

ſubſtantiâ eſt hic & verus Sanguis. Si vitioſus evadit, fit hoc per accidens, ob admixta heterogenea. Quod verò hic Sanguis vinum corrumpit, fruges, ſalſamenta, aliaque condita putrefacit, non propterea venenatus cenſendus: præſtat enim hoc viſui fermenti, quo illos liquòres agitando & particulas eorum inter ſe committendo tandem ad deſtuctionem perducit.

IX.

Cauſſa hujus fluxus efficiens eſt vel ſola copia Sanguinis, vel ſimul quoque Qualitas ejus calida, acris, tenuis, oſcula vaſorum aperientis, vel peculiare fermentum Uterinum in vaſis ſeminalibus contentum, quod Sanguini πνευμάτωσιν largitur. Quo etiam pertinent uteri vaſa cum ſuis poris & meatibus, eo tempore cum fluxus incipit, laxioribus & patentioribus. Non excludenda hic Bilis venit, quæ hoc tempore dominium adepta, Sanguinem attenuare, fundere & ad capiendum impetum irritare poteſt. Lunari curſui vulgus tranſcribit, quod ab hoc Humores maximè augeri per experientiam conſtet.

X.

Tempus Univerſale hujus fluxus ſtatuitur à 14. anno inchoare & finiri cum 50. raro ad ſexageſimum eſt amplius extendi. Utriuſque cauſſa videtur eſſe Fermentum Uterinum, quod ibi nondum adultum, maturatumque, hic verò jam exſtinctum ſepultumque eſt. Particulare ſunt ſinguli menſes, idque per duos treſve dies: nonnunquam durat in 6. & 8. diem. Ariſtotelis tempore accidebat Luna Decreſcente: hodie experientia docuit, juniores novilunio, Seniores plenilunio purgari, ſecundum verſiculum tritum: Luna vetus vetulas, juvenes nova Luna repurgat. Quod verò ſingulis menſibus peragitur hæc evacuatio, propter commodum fœminarum, ne ſemper ſed per intervalla egrediatur, fieri, memoriæ prodidit Hippocr. lib. de Septimeſtri & Octimeſtri Partu. Alii mulierem microcoſmum ad macrocoſmum referendo, componi eam cum iſtius ſideris motu, & motum lunæ ſequi, affirmant.

XI.

Viæ ſunt ſolæ Arteriæ, tum quæ in collum uteri (& hæ in gravidis quoque fundere ſanguinem poſſunt) tum quæ ad fundum ejus terminantur, quorum oſcula teſte Laurentio Veteribus, acetabula & Cotyledones indigitantur. Quod ad quantitatem, excernit mulier ſecundum Hippocratem ſingulis menſibus libram cum dimidia: inter-

interdum etiam majorem copiam: variante nempe temperamento, pro copia, caliditate, tenuitate, aut contra, ſanguinis. Finalem cauſſam excretio quintuplicem obtinet. I. Evacuare ſanguinem ſuperfluum (interdum quoque ſimul noxium) quando mulier, necdum concepit, quod fortè natura tum ſuum ſcopum non eſt adepta, quod hic generationis materia ſit. II. Fœtui intra & extra uterum inſervire, ibi ut materia hic ut alimentum, cum in lac eſt mutatus. III. Inſervire propagationi ſpeciei. IV. Corpus conſervare ſanum & liberare ab excrementis, quia alias corrumperetur.

XII.

Notæ bonitatis, ſanguinis Menſtrui, petendæ veniunt. I. Ab ejus conſiſtentia, ubi optimus ille cenſetur atque laudabilis, qui medius eſt inter tenuem & craſſum. II. Qui caret omni odore, imprimis fœtido. III. Qui colore eſt vivido & florido, rubro inſtar ejus, qui fluit à recens mactata victima. IV. Obſervandus eſt modus excernendi, ut liberè ſine omni impedimento effluat.

XIII.

Quibus verò Signis inſtans (præſens enim per ſe evidens eſt) fluxus cognoſcatur, imprimis in illis, quæ nunquam paſſæ ſunt, demonſtrare poterit pulſus, qui naturali frequentior evadit, cum efferveſcentia ſanguinis in Corde majore: accedunt lumborum, laterum, & ſæpe Capitis dolores, oriundi à ſanguinis nimio motu. Virginibus ubera intumeſcunt, pruriunt papillæ. Quantitatem ſufficientem, & prognoſin bonæ evacuationis adſtruit εὐφορία, id eſt, quando poſt evacuationem nec corporis gravitas, neque virium debilitas deprehenditur.

XIV.

Quid ſit ſupprimere? Quibus mulieribus ſupprimantur menſtrua? Quid ſint menſtrua? Quis eorum ſ. n. ſit ſtatus, conditio? & quæ requiſita, hactenus dictum eſt. Sequitur, exponatur quoque, Quid ſit illa ipſa ſuppreſſio, quæ p. n. menſibus inducitur? Quâ de cauſſa producatur? Quibuſque ſignis cognoſcatur tum ipſa, tum ejus cauſſæ; quem qualemque tandem ſortiantur eventum.

XV.

Suppreſſio hæc cum mulieribus multorum graviſſimorumque malorum cauſſa ſit, illarumque functionibus vitalibus, animalibus,

naturalibus plurimum incommodet, procul dubio illis ſecundum naturam nullo modo accedet. Quæ enim ſecundum naturam in corpore eveniunt, illa partium Functiones conſervant illaſque roborant. Quæ contra naturam verò ſunt, hæc deſtruunt eaſdem & corpus labefactant, illud oppugnando & vim inferendo. Res verò præter vel contra naturam (nam hæc nunc non diſtinguo) à Medicis ponuntur tantum tres, Morbus, Cauſſa, Symptoma, ſub uno ergò horum noſtra ſuppreſſio collocanda erit. Morbus dici nequit, Suppreſſio; quippe cujus eſſentia non in ipſa aliqua corporis conſtitutione conſiſtat: neque enim propriè eſt aut Temperamentum, aut Structura aut Unitas læſa, quamvis horum effectus eſſe poſſit. Neque etiam ſua natura Cauſſam dixeris, quamvis per accidens multorum malorum cauſſa revera ſit. Reſtat ergò ſymptoma ſit & quidem meritò. Quippe quod Suppreſſio nihil aliud ſit, quam abolita excretio, mora & ceſſatio nempe menſium. Excretiones verò ſ. n. è genere naturalium actionum ſunt: læſæ ergò erunt è genere p. n. hæc vero ſymptoma ſunt. Erit igitur ſuppreſſio Actio læſa uteri, & quidem quatenus publicum munus obtinet, erit abolita excretio uteri. Sin reſpicias illud, quod retinetur, erit ſymptoma retentorum, nempe menſium, quæ naturaliter excerni debebant. Priori modo definiri poteſt, Excretio p. n. abolita ſanguinis, qui naturaliter ſingulis menſibus per uterum exire debet. Poſteriori modo, erit vitiata retentio ſanguinis ſingulis menſibus per uterum evacuari ſoliti, cum mulieres nec ſunt gravidæ, nec lactant, mediaque in ætate conſtitutæ ſint. Quæ tamen duæ Definitiones pari paſſu ambulant, cum tamen ſint petitæ ab oppoſito, idem ſubjectum eandem materiam, eundem finem reſpicientes.

XVI.

Pars affecta ſive ſubjectum hujus ſuppreſſionis eſt vel Propinquum vel Remotum. Propinquum eſt uterus, quatenus ſcilicet publico munere fungitur & pars corporis deſtinata ſive determinata dicitur. Uterus. Plinio lib. xi. cap. 37. Tom. I. p. 809. Utriculus. Ariſtoteli Loci, Lucilio Bulga, Græcis dicitur ὑστέρα non generatione ſed ſitu, quaſi viſcerum poſtrema ſit, teſte Laurentio Anat. lib. 7. cap. 11. audit quoque in plurali numero αἱ ὑστέραι in eadem ſignificatione. Hofmann. lib. 2. Inſtit. cap. 44. A quibus tamen differt, τὰ ὕστερα, quæ ſunt ſecundinæ tantum. Hic cum non ſibi tantum ſed pluribus aliis uſibus inſervire deberet, non ex uno

genere

genere partium conflatus est. Non enim sibi tantum alimentum accipit, retinet, alterat & conficit, & superfluum expellit, sed incumbit illi præterea triplex aliud munus, quorum primum est inservire menstruæ purgationi, secundum conceptui, tertium partui. Non enim tantum individuum conservari, sed & speciem propagari par erat, ut ergò hæc omnia obire posset munia, triplici quoque genere partium donatus est Uterus, continentibus, contentis, & impetum facientibus, quæ inserviunt menstruis expellendis, partim tanquam instrumentum, partim ut materia, partim ut facultas: primum quærendum in uteri substantia, secundum in sanguine ejus, tertium in spiritibus tum vitalibus tum Animalibus ejus. Afficitur ipsa substantia uteri, quoad ipsum corpus secundum tunicas, vincula sive ligamenta, fibras, fundum, collum, orificium, tum quoad vasa, venas & arterias scilicet, nervos habet à sexto conjugio, quorum notitia ex Anatomia comparanda est. Ex contentis imprimis est sanguis in venis & Arteriis ejus contentus cum insignibus tum capillaribus, quæ communi nomine Vasa dicuntur: postea etiam alieni Humores permixti sanguini quatenus cum sanguine ad Uterum deferuntur. Spiritus Animales ad uterum per nervos commeant, eique motum & sensum impertiuntur: Vitales verò cum sanguine per arterias accedunt, huncque in perpetuo motu conservant, agitant, attenuant, volatilisant. Possunt in præsenti affectu omnes hæ partes omnis generis, morbis affici. Substantia scilicet pati potest morbos in temperamento, Structura & Unitate. Sanguis & spiritus tum morbo laborare, tum caussæ naturam induere possunt: possunt incalescere nimis, refrigerari, attenuari, incrassari: possunt deficere, abundare, obstruere: diciturque hoc modo Uterus laborare per essentiam. Subjectum Remotum sunt præcipua viscera, Hepar, Cor, Cerebrum, Venæ, Arteriæque omnes, id est tota massa sanguinea, quæ, omnia vel menstrua absumere vel retinere valent.

XVII.

Sed caussa quæ sit hujus suppressionis productrix, ordo nunc postulat, ut investigetur: neque enim sine hujus accurata cognitione hoc malum curare possibile est. Hanc dividemus more Medicis recepto in Continentem, Antecedentem & Procatarcticam: Ad unam quamque enim harum attendere tenetur, quisquis citò & tutò huic lernæ caput amputare in animo habet. Prima alias dicitur

Proxima, altera Propinqua, tertia verò Evidens & Remota. Ordiar à Proxima, cui mox ſubdam Propinquam, ultimò Procatarcticam exſequar.

XVIII.

E ſymptomatum cum ſit numero Uterina hæc Suppreſſio, Functio nempe abolita: cuivis verò conſtet ex primis Medicinæ fundamentis ſymptomata à morbo aliquo procedere, tanquam cauſſa continente; neque enim lædi poteſt actio niſi conſtitutio organi actionis cauſſa ſit læſa: meritò inquirimus nunc, quisnam ſit morbus, qui hanc, tanquam cauſſa Continens producat ſuppreſſionem. Videtur hic non aliunde rectius poſſe cognoſci, quam ſi conferatur cum ipſo menſium naturali fluxu: cujus formalis ratio in libera excretione conſiſtit. Excretionis verò immediata cauſſa ſunt viæ patentes: Ergò ex oppoſito ſublatæ excretionis cauſſa erunt viæ occluſæ. Unde rectè infertur Proximam Immediatam atque ideo Continentem ſuppreſſionis hujus cauſſam eſſe ſolam & unicam viarum anguſtiam, quod hæ ſolæ fluxum tum efficere immediatè, tum impedire poſſint. Quia tamen ad excretionem non tantum requiritur pars excernens tam propinqua quam remota, ſed & id quod excernendum eſt, & menſtrua non tantum per has evacuari vias eſt neceſſe, ſed præterea ad hunc fluxum tum materia, tum id quod materiam expellit, requiritur. Hinc meritò plures hic conferre ſuum ſymbolum morbos credere par eſt. Qui tamen tandem anguſtiam hanc vel per ſe vel per accidens, idque vel privativè vel poſitivè cauſſentur. Non ergò unum morbi genus, hic partes ſuas & talentum tribuit. Quippe quod uterus ipſe lædi poſſit ab Intemperie ſine vel cum materia, vel calida & ſicca, vel ut plerumque fieri conſuevit, frigida, quæ ora arteriarum denſat atque conſtringit, ſimulque ſanguinem in iis contentum reddit immobilem; ſicut ſicca exhauriendo fluidiores & ſubtiliores particulas, eundem gignit effectum. Structura morbi poſſunt primò eſſe Conformationis in ſuperficie, ubi ſubſtantia Uteri evadit denſior, duriorque: quod vel accidit à primo ortu, vel ſuceſſivè, unde perpetuò contrahitur ſuppreſſio. Cavitatis vitium eſt anguſtia, quæ interdum naturalis eſt, in imperforatis à primâ nativitate: Hæc conſiſtit in tribus locis. I. In alis ſive externo orificio. II. In medio ſinu ſeu ultra meatum urinarium. III. In ipſo Uteri ore, fitque aut à membrana aut carne. Præternaturalis anguſtia cum ſolutione continui

fit

fit à vulnere, Ulcere, Scirrho, Abſceſſu, Fiſtulis, quibus rima clauditur. Meatus ſive vaſa clauduntur conſtipatione, obſtructione, compreſſione, coaleſcentia, ſubſidentia. Interdum meatus etiam deſunt, interdum ſunt contorti idque vel caſu vel abortu, vel percuſsione alioque morbo. Horum omnium morborum cauſſa proxima, atque ideò cauſſa proegomena ſuppreſsionis omnium conſenſu ſtatuitur eſſe vel ipſe ſanguis vel Uterus cum præcipuis viſceribus, vel ſpiritus cum animales tum vitales: primum Hofmanno materia, ſecundum Inſtrumentum, tertium Facultas dicitur. Quæ eodem ſenſu Capivaccius ad duas Cauſſas redegit, læſam facultatem & errorem externam. Per prius intelligit omnis generis morbos, tum Uteri, tum aliarum partium: per poſterius verò vitia ſanguinis cum copia, defectu, Qualitate, motu. Primeroſius omnes cauſſas retulit in abſumptionem & retentionem menſium. Abſumptio eſt vel naturalis vel præternaturalis. Retentio verò fit vel vitio ſanguinis, vel Inſtrumentorum vel Facultatis, quæ planè eodem modo cum noſtris Cauſſis intelligenda ſunt. Mercatus omnes cauſſas rejecit vel in Univerſum corpus vel in ipſum ſanguinem, vel ad Uterum & ejus vaſa, cum quibus conjungit cauſſas externas, quæ & ſolæ ſæpè hunc affectum producere poſſunt.

XIX.

Sanguis peccat IV. modis, Quantitate, Qualitate, Motu, Admixtis alienis. Quantitas vel eſt in defectu vel copia. Deficit ſanguis & quidem naturaliter. I. In naturis calidis & ſiccis, ut ſunt viraginum. II. In pinguibus & craſſis. III. Poſt quadrageſimum impraegnationis diem. IV. In lactantibus. Præter naturam verò deeſt ſanguis ob inediam coactam vel liberam, ut ſunt jejunia, ob laborem nimium, vigilias diuturnas, evacuationes immodicas per Hæmorrhagiam, ſudores, Alvi profluvium: item ob morbum acutum vel chronicũ, mœrorem animi, quibus omnibus materia menſium abſumitur.

XX.

Copia peccat ſanguis in plethora, imprimis ubi aliquid pituitæ permixtum eſt, quæ ſanguinem obtundendo eum minus fermentare ſinit, unde diſtendendo vaſa, quaſi νάρκωσιν inducit fibris, quo minus expulſionem promovere poſſint. Ad copiam accedit Qualitatis vitium, nempe viſciditas & craſſities ejus, quæ obſtructioni producendæ valdè idoneæ ſunt, impedientes illum tranſire per va-

ſa anguſtiora & facientes ad motum ineptiorem. Frigidi & Craſſi Humores illi offeruntur vel ex aëre vel alimentis ejuſdem naturæ ingeſtis, generati, qui intruſi in uteri arterias, has haut difficulter obſtruunt atque obturant: quod ſæpè ſubitò fieri videmus à Pituita, ab aliqua cauſſa validè movente, ſoluta & fuſa & cum ſanguine ad uterum delata, iterumque à frigore vel aqua coagulata.

XXI.

Motu ſive loco nocet ſanguis, quando rejicitur per vomitum, alvum, urinam, oculos, nares, aures, gingivas, mammas, poros cutis, umbilicum, minimum manus digitum, ac per alias inſuetas corporis partes. Quorum exempla collegit Marcellus Donatus lib. IV. cap. 19. Hiſtor. Mirabil. Unam vide ſis apud River. Prax. lib. XV. cap. 2. Puellæ ſcilicet ſanguinem ex puſtula capitis profundentis.

XXII.

Uterus ipſe cum ſuis vaſis, & præcipua viſcera, Ventriculus, Jecur, lien, pulmo, Cor, ſuppreſsioni anſam præbent, cùm gravi aliquo affectu laborant, intemperie, ſcirrho, ictero, cachexia, hydrope, aſthmate. Quo facilè maſſa ſanguinea tota labefactari, ſpirituum tam vitalium quam animalium generatio, impediri, ſtructura, temperamentum, unitaſque uteri everti poteſt.

XXIII.

Spiritus Animales, Vitaleſque huc faciunt, quatenus vel planè non generantur, atque ſic deficiunt: atque ſua abſentia cum motu ac ſenſu Uterum ſpoliant: & unde torpor eſt paralyſis uteri accidere poteſt, tum quoque ſanguini coagulationem conciliant, quod motus ſanguinis præcipuè à ſpiritibus Vitalibus dependeat, qui nihil aliud ſunt, quam particulæ ſanguinis maximè activæ, utpote Salinæ naturæ, perpetuo ſe invicem agitantes. Si quis etiam Bilis defectum arguere hic velit, ille haut multum aberrabit: vel generantur quidem, ſed non ſufficienter, vel fiunt ex materiâ craſſâ, frigidâ, quorum exigua vis ad propellendum expellendumque ſanguinem.

XXIV.

In ſpecie producitur Obſtructio Arteriarum à Sanguine craſſo, viſcido, cui ſæpè alii Humores Viſcidi permixti ſunt. Conſtipatio fit à ſiniſtro adſtringentium tum externorum, tum internorum uſu, & interdum à carne quoque adnata, ab abſceſſu & callo. Compreſ-

ſio

ſio accidit vel à tumore aliquo partis circumjacentis, ut omenti pinguedine, quod in obeſis ad uteri os decumbit: vel à calculo veſicæ grandiore, aut tumore veſicæ, recti inteſtini, muſculorum rectorum inflammatione, quo etiam facit ipſius Uteri inflammatio, ſcirrhus, callus aliquis, pinguedo caroque adnata. In imperforatis Uterus ipſe comprimitur, ſicut & in illis, in quibus membrana Hymen adeſt. Coaleſcentia contrahitur à frequenti abortu, à vulnere, carne luxuriante, cicatrice poſt vulnus, à membrana utero adnata. Subſidentia fit ex defectu Sanguinis, ob immodicas evacuationes per alias vias, ob mœrorem, timorem, ſpirituum defectum. His omnibus cauſſis addendum eſt peculiare uteri fermentum, quod præcipue fluxus naturalis eſt cauſſa: Quæcunque ergò fermentum hoc deſtruunt, ei materiam ſubtrahendo, vel ipſum generatum jam diſſipando, illa meritò pro cauſſa Suppreſſionis haberi poſſunt.

XXV.

Inter Cauſſas Procatarcticas plurimum excellit I. Frigus cum Aëris, tum Aquæ, maximè inſtantibus menſtruis, corpus afficiens. II. Victus copioſus & craſſus, fermentum ventriculi obtundens, unde Chylus, Sanguiſque craſſus gignitur. Imprimis hic lacticinia & acida, ut auſtera acerba valde nocent. III. Valdè quoque nocet iners otium, ſomnuſque nimius Humores craſſos coacervans. IV. Animi mœror, phantaſia, ira, quæ variis modis Sanguinem, ſpirituſque conſumunt. V. Magnæ evacuationes, ſive Sanguinis, ſive ſpirituum, ſive aliorum Humorum, quæ corpora ſæpius in graviſſimos atque incurabiles morbos conjiciunt.

XXVII.

Cauſſis ſuccedunt Differentiæ, quæ perquam plures exiſtunt. I. A modo læſæ excretionis, alia eſt abolita alia diminuta. II. A tempore, alia eſt diuturna & continua, alia brevis & mitis. III. A parte affecta, alia eſt per eſſentiam, alia per conſenſum. IV. A cauſſis, alia eſt à Sanguine, alia ab Intemperie, denſitate, obſtructione, compreſſione, ſubſidentia, conſtipatione, coaleſcentia. V. Alia etiam eſt Naturalis, ut Virginibus, Pinguibus, lactantibus, poſt 40. conceptionis diem: alia eſt præternaturalis ab evacuatione nimia, ab inedia, ob labores vigilias.

XXVIII. Si-

XXVIII.

Signis indiget Medicus duplicibus, his, quibus Morbum, partem affectam, caussas tam præsentes quam præteritas in lucem protrahit: aliis, quæ ipsum de eventu præmonent. Illa dicuntur Diagnostica hæc Prognostica. Et quamvis hoc malum sæpe ex relatione ægræ pateat, sæpe tamen etiam latet. Ubi Symptomata, quæ occurrunt considerare oportet, aliasque circumstantias, quæ certitudinem Medico afferant. Qualia sunt I. quod Mulier ad fluxum patiendum idonea sit, nulla tamen fit Sanguinis excretio: hoc jam menstrua deficere significat, imprimis si contingit post 13. & intra 50. annum, mulierem ægrotare, mensibus obstructis hoc acceptum ferri potest: II. Nulla adsunt signa conceptus, & deficiunt Menstrua, ergò Suppressio adest. III. Fluit Sanguis è naribus, vel per sputum rejicitur cum nullo dolore circa uterum, nec ullis aliis Symptomatis circa illam partem, ergò Menses sunt suppressi. IV. Cum Sanguis in utero retinetur, adest dolor imi ventris, lumborum, femora difficulter moventur, eorum musculos infestat stupor. V. Adest horror, pica, nausea, vomitus, palpitatio cordis, tormina, deliria, dyspnœa & tandem si diu duret, succedunt infinita alia Symptomata actionis vitalis, naturalis, animalis concernentia. VI. Non rarò lac in mammis observatur, vel hæ tument & inflammantur. VII. A prægnantibus suppressas distinguit color, mores, symptomatum remissio vel vigor, infantis motus & situs. Ille prægnantibus est naturalis, suppressis verò pallidus, imò interdum viridis: suppressæ sunt tristes, aliæ hilares. His Symptomata tandem evanescunt, aliis verò in dies invalescunt, tandem in illis motus & situs Infantis, tertio circiter mense, qui manu ventri admota, percipitur, in his tale nihil fit. VIII. Causas verò his Signis cognoscet. I. Densitas cognoscitur à prægressâ caussâ refrigerante. II. Obstructio ex gravitate circa uterum, copia Humorum, & ex indicantibus Sanguinem crassum elucescit. III. Coalescentiam patefacit prægressum ulcus, aut alia solutio continui. IV. Compressionem indicat pondere, tumor vicinæ partis, vel omentum pingue, ut in obesis. V. Contorsionem aut vitiosam figuram ostendit difficilis partus. VI. Constipatio cognoscitur ab obstetricibus, sive sit caruncula sive pellicula. VII. Subsidentiam ægra indicabit, cum extra pudenda Uterus propendet quod & obstetrix manu explorari potest, præterea antecessit inanitio aut insignis refrigeratio.

frigeratio. VIII. Caliditatem & ſiccitatem feminæ viriles præ ſe ferunt, quæ voce ſunt graves, corpore hirſutæ, facileque excandeſcunt. Error externus cognoſcitur ex ſanguinis copia, qualitate, motu.

XXVIII.

Prognoſi utitur Medicus, tribus de cauſſis, ut perfectius curat, ut imminens periculum prædicat, ut ægrorum animos ſibi devinciat, quo magis ipſius juſſu obediant, dum eorum affectus illi cognitas eſſe deprehendunt. Et quamvis plerumque Suppreſſio quævis mulieribus multum incommodi afferat, ſitque difficilis curatu, una tamen altera gravior eſſe conſuevit. Namque quæ poſt ſex menſes durat, teſte Hippocr. lib. I. de Morb. Mulier. (quod tamen perpetuæ veritatis eſſe teſte eodem Hippocrate negat Mercatus, demonſtratque ex ipſius Hippocratis hiſtoriis, quia ætas, habitus, temperamentum, cauſſæ, ceteræque circumſtantiæ ſanationem impediunt vel facilitant.) Quæque eſt ex cicatrice, Sclrrho, cancro, contumaci obſtructione, coaleſcentia, hydrope, planè incurabilis eſſe ſolet. Difficilius quoque curatur illa, quæ eſt ex defectu, Qualitate, motu Sanguinis, quam quæ ex copia ejus oritur. Pejor quoque eſt cum Sanguis in utero retinetur, quam cũm per aliam partem evacuatur. Pejor quoque eſt in femina, quæ nunquam peperit. Quibuſdam hæc ſuppreſſio planè naturalis eſt. Facilius curatu illa eſt, ex pinguedine, hæmorrhagiâ, aliaque evacuatione, quod cauſſæ hic facilius tollantur.

XXIX.

Expenſis huc uſque natura, cauſſiſque, abolitæ menſtruæ purgationis, ut telam, quam exorſi ſemel ſumus, pertexamus tandem: conſequens eſt, perpendamus quoque quâ ratione hoc malum, ne diutius muliebre corpus impunè infeſtare poſſit, optimè amoliri valeamus. Haut temerè autem ex Mercati præcepto, hujus affectus Curationem aggredi oportet, quia incautis mille accidentia in hoc malo affectis occurrere poſſunt, quæ potius manu facta, quam vi morbi illata eſſe credendum ſit, ubi Curatio planè omittenda eſt, ut fit in nutricibus, laborioſis, pinguibus, morbo aliquo confectis, viraginibus, vetulis, nondum adultis, ſive immaturis, ubi manus auxiliares nullo modo, vel ſaltem cum ſano judicio porrigere licet. Sed cum gravia emergunt Symptomata, gravia accidunt incommoda, tum demum ſeſe accingere ad Curationem Me-

dicum

dicum decet, non plebeculæ ritu, venam promiscuè secando, incidentia, aperientia adhibendo, verum respiciendo accuratè ad caussas, indeque factos morbos, sic enim optimè Curatio instituetur per indicationes more Rationalibus Medicis recepto, quo morbo, causisque exstirpandis, viribus verò conservandis, per rationes cuique proprias, propria invenimus & specifica remedia, iisque adhibemus materias cum ratione, tum imprimis experientia certa sæpè diuque cognitas atque probatas. Ut igitur ordine progrediar, illam caussarum classem observare insistam, quam nobis Celeberrimus Mercatus præscripsit; ubi omnem caussam Suppressionis statuit hærere vel in universo Corpore, vel in Sanguine tantum, vel in ipso utero ejusque vasis.

XXX.

Ubi ergò universum corpus ad inducendam Suppressionem conspirat, ibi imprimis cavendum, ne menses provocare medicamentis ingrediamur: verum danda potius opera, ut corporis ejusque viscerum pravas amoliamur, prius tum constitutiones tum caussas evidentes occultasque, quæ illas constitutiones producunt. Itaque I. Convalescentibus ab aliquo gravi morbo succurremus Diæta potius Alimentorum euchymorum, polytrophorumque, quam medicamentis. II. Eas verò mulieres, quæ nihil incommodi à Suppressione percipiunt, ne tangamus quidem, nisi sterilitatem inde consequentem arcere cupiamus, tum pro re nata Medicus cognita ejus Suppressionis caussa suppetias feret. III. Impuberes & vetulas, id est, quæ vel infra 14. vel ultra 50. annum versantur, ut & lactantes & gravidas, utpote sine damno carentes mensibus culinæ mandemus. IV. Extenuatas diuturno morbo vel inedia, ut & quæ multum Sanguinis per nares rejecerunt aliamque partem, victu uberiori optimique nutrimenti impinguamus. V. Ubi verò penuria fit ob venarum angustiam in obesis, ubi Sanguis in pinguedinem absumptus, ibi verò corpus extenuamus, diæta tenui acidorumque usu semel in anno venam secantes. VI. Quæ malo sunt corporis habitu, eas Diætâ in meliorem statum reducimus. VII. Quæ occupante valido exercitio imprimis tempore eruptionis menstruorum, aut cum hæc instant, sive totum corpus, sive unum tantum membrum, ut fit in Cantatricibus, exerceatur, illas quiete & otio ad munus naturæ reducimus. VIII. Omnes caussas evidentes reliquas submovemus, ut est lotio, potusque aquæ frigidæ, cum instant menstrua, aut timor,

mor, mœror, vigiliæ, aliæque passiones animi graves. IX. Excretiones quasvis per Hæmorrhoides, nares, os, sudorem largum tollimus parca Venæ Sectione, cucurbitulis, scarificatis frictionibus, vinculis, topicis. X. Plethorā totius corporis Venæ Sectione in bracchio evacuamus. XI. Biliosis Calidisque imperamus Humectantia in cibo & potu, tum adhibemus Venæ Sectionem, blandamque purgationem, applicemusque cucurbitulas, & commendamus balnea, atque hoc modò tollimus vitia toti corpori molesta. Quod si verò solus Sanguis in culpa sit, illum sequenti methodo emendabimus.

XXXI.

Si sanguis peccat Quantitate sola, idque primò in Utero & hinc in toto corpore, tunc vena secanda est in talo. 3. 4. que die ante menstruationis tempus solitum: hinc instituatur Diæta tenuis, imperetur que modicum exercitium, fiant leves frictiones circa tibias & femora, concedatur moderata Venus: affigantur cucurbitulæ scarificatæ, femoribus, coccis, suris.

XXXII.

Ubi verò Qualitate molestus est sanguis, frigida imprimis cum crassitie & visciditate: hic imprimis adhibenda est Diæta ratio calefaciens & extenuans, pauci tamen Alimenti, quæ exercitiis augebitur. Conducunt ergò Cibi, & imprimis carnes vel animalium castratorum & juniorum, vel avicularum montanarum & juscula aromatis condita, imbibatur vinum odoratum & dilutum, aq. cinamom. aut rad. chinæ infusum: tum sint in usu Calefacientia & Incidentia medicamenta: quibus succenturientur Phlegmagoga, tum iterum extenuantia diu adhibita. Tandem menses cientia propinentur, ubi imprimis Decoctum rorismarini & sem. leucoji lutei, ut & apii hortens. cum vino valet, Trochisc. de myrrha hic specifici sunt.

XXXIII.

Si motu deviet sanguis, ut quando per superiora, nares, sputum, vomitum, erumpit: tum conducunt repellentia, partim ut est lotio aq. frigidæ in capite & bracchiis, partim revellentia ad uterum, Venæ Sectione in talo, quod faciendum est triduo ante consuetum eruptionis mensium tempus: eidem rei inserviunt quoque ligaturæ, frictiones, cucurbitulæ. Si verò in utero stagnet sanguis, eumque distendat, tum adhibebitur venæsectio circa malleolos, scarificatio verò in femoribus ac suris: mensesque ciebuntur medica-

mentis non nihil calefacientibus. Conducunt hic etiam pessaria, insessus, inunctiones, fomenta: fugienda verò sunt validè menses moventia. Materias videsis apud Primerosium, Riverium, Mercatum, Joëlem aliosque.

XXXIV.

Uterus sæpe laborat ipse Intemperie Frigida sicca, unde ille evadit densior & durior: estque hoc vitium sæpè naturale mulieribus & nullam admittit Curationem. Quando vèrò ab aliquâ caussâ contractum est, tum adhibenda sunt Calefacientia & Humectantia, emollientiaque, nempe insessus, lotiones, suffitus aromatici, metrenchytæ sive clysteres Uterini, pessaria, quorum locuples penus exstat apud Practicos.

XXXV.

Si verò Vasa Uteri sint obstructa, quod frequentius accidit, idque vel natura, tum incurabile est malum: sin ob aliquam caussam, puta, Inflammationem vel Uteri ipsius vel vicinarum partium, qua vasa comprimi possunt, cum vel sine tumore insigni: item, si sanguis immodicè ibi circa uterum congestus stagnet, crassus viscidusque inhæret cotyledonibus, tunicisque venarum, tum Curationem inchoabimus. I. Venæsectione in talo, si copia sanguinis adsit. II. Purgatione repetita, quod dicitur per epicrasin utemur, mutatis sæpè formulis, ne ægro nausea creatur, Infusis, Bolis, Pilulis, Aquis, Decoctis, adhibebimus quoque balnea, insessus, suffitus, pessaria. Materia commodè præparabitur menses moventibus specificis, sabina, dictamno &c. miscebimusque utiliter alterantia purgantibus, sic enim illa potentius operabuntur. Pessi quoque & metrenchytæ hic commodè adhibentur, cavendo tamen ne constent nimis acri calidaque materia, ne exulcerentur illæ partes. Inunctiones hic efficaces sunt, prosunt etiam Clysteres, cucurbitulæ tam scarificatæ quam siccæ, coxis & femoribus admotæ, vincula dolorifica, fomenta partium inferiorum. Nec victus ratio incidens negligenda, habita ratione totius & viscerum principalium.

XXXVI.

Quomodo tollendæ sint caussæ suppressionem producentes, sat expositum est. Morbi vero, qui in eadem occurrunt parte curantur sublatis caussis, quidam tamen peculiarem exigunt medelam, Ut est distorsio sive retractio Uteri in alienam partem: frigiditas

Uteri,

Uteri, ejusque orificii, cicatrix, callus durus, caro supercrescens, membrana claudens orificium, tumor p. n. vel ipsius, vel partis vicinæ.

XXXVII.

Ubi ergò tumor p. n. vel ipsius Uteri vel partis vicinæ impedit liberum mensium profluvium, Curatio instituetur mittendo sanguinem: tum sedabitur inflammatio convenientibus medicamentis, adhibebunturque illa quæ tumorem durum emolliunt. Menses cientia hic nocent.

XXXVIII.

Si membrana Uterum claudat, commendabitur illa Chirurgis ferro & medicamentis exstirpanda. Si verò Caro supercrescat, quæ menstrua impediet, medicamentis exedentibus eandem tollit Chirurgus.

XXXIX.

Cicatrix aut callus adnata durus & solidus curatur leniter emollientibus: licetque hic sanguinem mittere ad præcavendum majus malum.

XL.

Frigida Intemperies Uterum ipsum & ejus osculum lædens, & quidem à caussâ externa contracta, ita ut corrugatius fiat, mensiumque fluxum impediat, curatur calefacientibus tantum, suffitu, balneis, inunctionibus.

XLI.

Intemperies Calida curatur. I. Victu refrigerante. II. Venæsectione in pede. III. Blanda purgatione Humorum acrium. IV. Alteratione per Decocta, Julep. balnea, topica. V. Conveniunt hic Hæmorrhoidum fluxus, insessiones, balnea.

XLII.

Intemperies sicca curatur Humectantibus Internis externisque: levibus frictionibus, deambulatione, inunctionibus, balneis; clysteribus emollientibus. Evacuationes hic sunt omittendæ, quia hæ ægræ similes sunt Hecticis, ab illisque maximè læduntur.

XLIII.

Uteri distensio ad alienam partem, quæ quidem impediat fluxum mensium perversis osculis vasorum curatur fomentis calefacientibus ex fœnic. & absynth. tum lotione calida: postea Uterus digitis reponendus est in suum situm naturalem, faciendæque lenes

 purga-

purgationes, donec fluant menstrua. Conducunt hic crebra exercitia, equitatio, deambulatio, saltus: ut & cataplasmata, quæ uterum retrahunt & in situ antiquo conservant firmiter.

XLIV.

Scirrhi & Cancri cognoscuntur, curandum methodo qua in aliis partibus curantur & cognoscuntur, relinquunturque Chirurgis, qui ferro, manibus & igne, sicut Medici medicamentis & Diæta pugnant.

XLV.

Ex tribus Indicationibus quibus Dogmatici Medici omnis affectus Curationem expetere consuevere, hactenus absolvimus duas, quæ nempe petuntur à rebus p. n. Morbo scilicet & ejus Caussa, qua sui amotionem indicant per contraria. Superest adhuc tertia, quæ sumitur à rebus s. n. & indicat similia, diciturque vulgò Vitalis & Conservatoria, quia vires conservando integras vitæ prospicit. Hæc respicit Sanitatem ipsam ejusque essentiam, tum ejus Caussas & Accidentia, unde comprehendit corporis & cujusvis partis temperamentum, ipsum corporis habitum, ætatem, idiosyncrasiam, consuetudinem, vitæ institutum, aëris ambientis constitutionem, tempus anni, regionem, in qua degit ægra. Quorum omnium accuratam tenetur Medicus habere rationem, si citò, tutò & jucundè mederi cupiat.

XLVI.

Horum omnium usus constat cùm medicamentis, tùm legitimo Diætæ regimine, quæ sex rebus non-naturalibus absolvitur. Medicamenta quæ hic conveniunt, sunt Corroborantia dicta, nempe quæ particulis constant vel alimentosis vel saltem summè activis, quibus vel in alimentum cadunt, vel viam ad partes aperiunt, ipsaque ab excrementis liberant, qualia ex internis sunt, Aromaticæ aquæ, & Spiritus, confectiones, conservæ corroborantes, electuaria, pulveres cardiaci, condita. Inter externa occurrunt, linimenta oleorum aromaticorum, emplastra, fotus, quorum præsidiorum materiæ passim apud Practicos exstant.

XLVII.

Ex rebus non-naturalibus convenit hic Aër purus & lucidus atque temperatus in primis secundisque qualitatibus. Cibi & potus laudantur contrarii morbo & caussæ morbificæ, boni succi & facilis coctionis. Excernenda promoveantur, ut singulis diebus procedant:

dant: somnus, motus, requies, vigiliæ, secundum caussas ordinentur. Animus componatur ad hilaritatem, metu & mœstitia in exilium pulsis. His omnibus ritè & secundum artem peractis benedictio expectetur ab illo, qui solus omnibus benedicere, à quo & ipsi sumus, in quo movemur & vivimus.

FINIS.





Ad Nobiliss. & Experientiss.

DN. REJNBOTH.

De sanguine menstruo disputantem.



Siccine Te dulces musæ innocuique Lycæi
Delectant studia & non inhonora quies?
Invia Virtutis veluti est via nulla petenti
Sic jam multa tibi lectio pandit iter.
Invia virtuti non est via laudis: honores
Percipit & studii præmia quisque sui.
Hinc Themis alma Tibi summos decrevit honores
Ac audis læto pectore: DOCTOR ave!
Gratulor hunc titulum, quo cunctis dignus haberis:
Et tecum gaudens hæc pia vota fero.
Quicquid agas, summus numen conatibus adsit,
Morsus mordacis sit procul invidiæ.

Ita Fratri Optimo de novis in Arte Medicâ honoribus gratulabatur, ac prospera quæque vovet

FRIDERICUS REJNBOTH.

Pando-

Pandoræ quondam vacuatâ Pyxide, totum
Pervaſit Terrarum Orbem genus omne malorum
Scorbutus, Phthiſis, Lethargus, Pica, Phrenitis,
Quicquid & ulterius monſtrorum docta Galeni
Turba canit, variiſque jubet vitare medelis
Funeſtos morbis ſcopulos ſyrteſque dolorum.
En novus hîc Batavas plauſu delatus in oras
Monſtrorum domitor REINBOTHUS, cujus ab ore
Suſpicienda fluunt magni ſecreta Galeni:
Quem meritis condigna ſuis nunc palma coronat
Debita virtuti: nam templa propinqua Quiritum,
Queis Virtus & Honos cultus habuêre ſacratos
Indigitant fidum Comitem Virtutis Honorem:
Ergo Tibi tantos meritò gratamur Honores
Queîs mactatus ovas, reſonantibus undique Votis:
Hos inter vario lætantes ore Triumphos
Nec noſtrum ſuſpenſa melos teſtudo moratur
Nomine non uno: quoniam (ni fallor) habenas
Jàm ſentis dulcis Paphiæ: & conjuncta Galeno
Alma Venus Cimbro reſidens in littore: ſuavi
Addidicit nexu ſertis miſcere corollas.
Ergo tuam duplici felicem nomine ſortem
Alma ſalus Trinâ complebit ſorte perennem.

Ita Nobiliſſ. & Experientiſſ. Dn. Reinboth. *ſummos in Medicina Honores capeſſenti applaudit*

PAULLUS GRUNEWALD, Lubecenſ.

J. V. Licentiatus.

Non frustra vario petitur doctrina Labore
Sedula nec frustra pectora Pindus habet.
Hæc via, quâ virtus, hæc, qua doctrina paratur
Cultores digno donat honore suos.
Hæc quoque post varios, ADFINIS AMANDE, Labores
Insigni studium donat honore tuum;
Quare ego de tanto meritò tibi grator honore,
Et precor, ille tibi commoda multa ferat.
Sit faustus tibimet portus, non ulla carinam
Tempestas capiat, Scyllaque cœca trahat,
Sed cœlo innubi placidis semper vehat undis
Donec cœlicolûm prata beata petas.

Id quod amicè magis; quam eruditè, vovet ex animo

FRID. HEINRICH von Hatten.

Ad

Ad Nobiliss. & Clariss. Dom.

CANDIDATUM,

De Suppressione Mensium disputantem.

Sic igitur Vestris sunt omnia commoda chartis,
  Atque nihil Medicus, quod vereatur, habet.
Sic Natura parens adeò nil contegit, Audax
  Quod non vester amet contemerare labor.
Menstrua, quæ Thalami velat reverentia casti
  Quæ celat. Pietas, Virgineusque pudor.
Quæ memorare Virum vitium hactenus ecce revelas
  Ejus & ostendis quæ sit origo mali.
Quam vereor salvas ne surgat Cypris in iras,
  Et meritis tribuat præmia digna tuis.
Quàm vereor Nymphæ gemitus, atque aspera bella,
  Dum memoras, minimè quæ memoranda forent.
Sed benè: quod pudor est aliis, tibi gloria summa
  Et decus, & nullo est laus reticenda die.
Hinc tua clarescit latè sapientia nobis
  Mentis, & ingentes hinc videt orbis opes.

Hæc in æternum amoris fraternæque amicitiæ monumentum properanter

HEINRICH. GEORG. von Hatten.

Doctorisne Tibi de nomine gratuler? unde
Laurus & emeriti surgunt tibi ritè Triumphi:
An mavis Paphiæ plausus? dum pronuba quassat
Junofaces, dulcesque jubet tentare triumphos
Sanguine constantes de quo tibi sermo: quid ergo
Ut voveam volupe est? sed stat sententia Voti,
Scilicet ut Lectæ quando conjunctus Amicæ
Menstruus hic cesset sanguis: sic ludet in aulâ
Parvulus Æneas & filia dulcior illo.

Ita Avunculo Populari, Amico in paucis dilecto de summis in Medicina Honoribus gratulari voluit, debuit

FRID. HEINRICH Jügerth.

BENE. FELICITER. FELICISSIME.
OMINA. OMNINO. OMNIA.
VIR. CLARISSIME.
DN. JOHAN ADOLPH REINBOTH,
MEDICINÆ. CANDIDATE. DIGNISSIME.
AMICE. AMICISSIME.
AD. NOVOS. TVOS. JAM. JAM. ADIPISCENDOS.
DIRIGANTVR. HONORES.
DVM.
IN. SACRARIVM. TEMPLI. MVSIS. SACRATVM.
INDEFESSVS. MEDICINÆ. CVLTOR.
MEDICO. STIPATVS. SENATV.
ADDVCERIS.
VT.
DIGNO. CONDECORERIS. HONORE.
NAM.
CONDECORASTI. QVONIAM. VARIIS. MENTEM.
BONIS.
ET. DOCTRINA. DOCTA. VIRES.
VIRENT. VIRIDI. NVNC. TEMPORA. LAVRV.
AC.

CORONA

CORONA. CINGITVR. ERVDITE. ERVDITVM.
CAPVT.
QVIA.
TVÆ. VIRTVTIS. ET. INDVSTRIÆ. DIGNO.
DIGNARIS. PRÆMIO.
AC. MERITISSIME; NON. MINVS. ET. DIGNISSIME.
MEDICINÆ DOCTOR.
CREARIS.
HEM! FAVSTVM. TITVLVM. DVDVM.
PROMERITVM.
ID. QVOD.
LYCÆA. ET. ATHENÆA. CELEBERRIMA.
QVÆ. VISERE. FVIT. VOLVPE.
JENA. ET. ERFVRTVM. TESTABVNTVR.
TVAM. EXTOLLENTES. MEDICAM. SCIENTIAM.
HAVD. MODICAM.
CVNCTIS. ERGO. APPLAVDENTIBVS.
ET. EGO. APPLAVDO.
NEC. APPLAVDO. SOLVM. SED. INSIMVL. VOVEO.
VT. HONOR. ADIPISCENDVS. HONORE.
CVMVLETVR.
AC. IN. EO.
NON. DECREMENTA. SED. INCREMENTA. CAPIAS.
INSVPER. OPTO.
VT. IN. FELICITATE. PERPETVA. ANNOS.
PERPETUES. CVNCTOS.
AC.
CVRSV. TEMPORVM. PROPITIO. PROPIVS. AD
COELVM. PROPERES.
VIVE. BENE. FLORE. FELICITER. VALE.
FELICISSIME.
IN. OMNIGENA. PROSPERITATE. FELICITATE.
NAM.
TVARVM. VIRTVTVM. DECORIBVS. NON.
DEERVNT. DECORA.
LICET. RARVM. SIT. CORRVPTO. HOC. SECVLO.
ASSEQVI. HONOREM. QVEM. MERERIS. ET.
MERERI. QUEM. ASSEQVERIS.

 DIGNO.

DIGNO. ET. INDIGNO. ABLATIVUM.
ADSCISCENTE.
SPLENDEAT. SPLENDIDISSIME. DIVTISSIME.
SPLENDIDISSIMVM
REINBOTHIANVM. DECVS.
SIT. TIBI. NVMEN. PROPITIVM.
REDDAT. VOTA. AC. FATA. PROPITIA.
AC. HISCE.
FELICI. PROGRESSV. AD. MAJORA. PROGREDERE.
SCANDE. PERSISTE.
FELICITAS. FELICITATEM. NVTRIAT.
VT. OPTAS. VT. CENSES. OPTATO. EVENIANT.
OMNIA
AC.
IUVENTVTI. TVÆ. ORNATÆ. ORNATIOREM.
JVNGAS. SOCIAM.
LICEN. ENIM. OMNIA. TIBI. LÆTA. PRECER.
LÆTAS. TAMEN. INPRIMIS. TIBI. TÆDAS.
APPRECOR. VBI. PLVRIMI.
GAVDIVM. TECVM. SOLENNE. GAVDEBVNT.
ERGO.
VIVE. FLORE; VALE. FAVE.
FAVENTE. FATO. PARCENTE. PARCA. LONGÆVO.
FRVERE. ÆVO.
DENIQVE.
VOTVM. EX. VOTO. VT PROCEDAT. VNICVM.
MEVM. EST. VOTVM.
NAM.
GRATVLOR. GRATVLATIONE. NON. INGRATA.
PRONO. ET. FLAGRANTI.
IN. TE. ANIMO.
IGITVR.
VOTVM. HOC. DE VOTO. CORDE. ACCIPE.
MAGIS. ANIMVM. QVAM. CALAMVM.
VACILLANTEM. ASPICE.
NEC. AMICITIAM. AMICE! AMBIENTI. ABNVE.
QVOD. ROGAT. SPERATQVE.
TVVS.
CASPAR. WENCKEBACH,
NORDA FRISIVS ORIENTALIS.

Qui multum possidet, beatum non voco,
Nomen beati rectius (mea quidem
Sententiâ) meretur is, qui præditus
Virtute; sed beatior is, Apollo quem
Virtusque Myrto donat; hic beatus est
Verè; potest habere juris in hoc nihil
Vel Cercyon, vel Cacus, & vitam licèt
Ipsi dolone, fraxinove finiat:
Erit superstes; Namque Fama Nescia
Lethi solet quam sola Virtus parere;
Felix es, & Beatus, & Beatior
Artis Machaonis Decus Clarissime
REINBOTH, Galeni Candide Æmule; & tui
Natalis una spes soli; Cœlo tua
Virtus vehit te, Floribus tuum Caput
Vincitque serto nobili nexo manu;
Ergò novâ Virtute macte, lucida
Ad Astra sic itur; DEVS te sospitet,
Seros in annos, plurimum quo sentiant
Per te salutis, membra quorum languent;
Precatur hoc, vovetque nominis tui
Amice Care, cultor omni tempore.

Hæc debitæ Observantiæ & συγχάρματος ergò apponere voluit

T. P. O. S.

FINIS.